DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN ANTONIANIS MEDICORVM REMENSIVM SCHOLIS DIE MERCVRII XXX. IVNII.

Clarissimo Viro M. FRANCISCO ABRAHAMO FRAMBESARIO Doctore Medico, Professore Antoniano, & Antiquiore Scholarum Magistro, moderatore.

61.

An Virginibus Chlorosi laborantibus Venus?

CVM homini animalium præstantissimo, mortali conditione creato, Natura summum perpetuò viuendi desiderium indidisset, nec tamen id naturaliter adipisci posset, sub duplici sexus discrimine, marem arctissimo vinculo fœminæ conjunxit, vt ex vtriusque fœcundo semine permixto, sempiternus quodammodo fieret homo: sed mulierem viro imperfectiorem esse voluit, & qualitatum imbecilliorum exuperantiam sortiri, in illa enim frigus calori, & humor siccitati prædominatur. Hinc mirum non est, si præter morbos vtrique sexui communes, fœmina quoque sibi propriis & peculiaribus morbis obnoxia sit, quos vterus tum grauidæ tum Virgini post decimum quartum annum natæ, ex primis nostræ generationis principiis sanguine videlicet ac semine excitat, & propter maximam quam cum nobilioribus organis habet sympathiam, omnibus corporis partibus communicat.

HINC vteri si indiuiduum spectes dignitas nulla, si speciem maxima, si vtrumque vtilitas & noxa quamplurima; quoniam vt valet, sic & totum corpus, & in ipso vel ab ipso singuli ferè mulierum morbi fiunt, cùm membranosa & ignobilis illa pars, colligendis corrumpendisque humoribus adeò sit opportuna, vt eos in se suo damno retineat, vel aliò refundat vitæ dispendio maximo. Ex humoribus in vtero corruptis vapor aliquando ad cerebrum expirat, adeò malignus, perniciosus, & veneni æmulus, vt ab hac sacra Palladis arce, non solùm ratio dimoueatur, sed omnes etiam ejus functiones tum motrices, tum sensificæ, tum principes interturbentur, & conuulsio, oculorum caligatio, insensibilitas, stultitia, melancholia, & vterinus furor excitentur, à quo & amor insanus prodit commodus occasionis arripiendæ magister, tunc etenim præceps non audit currus habenas, & Venus ipsa tyrannidem exercens vt altera Tisiphone sæpius imperat, vterúmque voluptatis thronum sæuissimis agitat furijs; hinc quædam adeò insaniunt vt assidentes adoriantur, & in puteos aliquando se præcipitent; aliæ abjecto ita sunt animo, vt omnia tuta timeant, & vitam sibi acerbam putent, etiamsi ex ea migrare pertimescant. Non desunt etiam cordi affectus ab vtero, lipothymia, syncope, respirationis & pulsus priuatio, à venenata quadam aura natiuum cordis calorem exoluente.

IDEM vapor fauces inuadens eas quasi vinculo constringere, aut manu præcludere videtur, cum magno suffocationis metu. Pulmonibus in mali consortium tractis, nedum dyspnœa, sed etiam ἀφωνία ingruit. In alijs quoque partibus quas id venenum attingit, horrenda exsuscitat symptomata, in diaphragmate compressionem, in aluo cruditatem, in ventriculo inappetentiam, & Picam cum rerum absurdarum desiderio: in hepate tergeminum aliquando hydropem, sæpius verò cachexiam, in qua ob deprauatam hæmatosim sub immensa prauorum humorum mole naturalis facultas ingemiscit, cum œdematoso pedum tumore. Omnia denique labefactantur viscera propter coctionum læsionem, & sanguinis qui facilem sibi exitum parare non potest, visciditatem & crassitiem, vnde in Virginibus viro maturis accidunt obstructionum myriades, quibus succedit χλώρωσις seu pallidi, virescentes, ac fœdi colores, faciei decus, de quo adeò sollicitæ sunt, deturpantes, licet earum imaginatio eò dementiæ sæpius perueniat, vt neque se formosas aut amabiles esse putent, neque nuptiarum capaces, nisi Chlorosi visu horrendâ laborent.

DISCRIMINIS plenus ob tantam symptomatum iliadem hic affectus omni remediorum tum aperientium, tum euacuantium machinâ debellandus est, secundum curatiuas indicationes duas, quarum prior inhibendæ μεταστάσεως rationem, posterior materiæ in vtero stabulantis exclusionem suadet. Effumationem prohibebunt & reuellent enemata citò injicienda, eaque acriuscula, maximè si naturæ votis aluus non respondeat, non neglectis partium inferiorum frictionibus, fortibus ligaturis, vt & cucurbitulis hypogastricæ regioni, & internis femoribus applicandis, idoneâ & temperatâ victus ratione; cibarijsque deuitatis, quæ crudos crassos & flatuosos humores multiplicare valent, cujus generis sunt lacticinia, legumina, carnes melancholicæ, fructus & pisces, atque vno verbo res omnes absurdæ quantumuis desideratæ. Ad euacuandam antecedentem causam, vena cubiti tundenda, & progresso morbo saphena. Catharsis quoque in vsum veniet, primò leuior ad eluendam imi ventris impuritatem, postea concoctis humoribus validior, pro ægræ natura & conditione.

CONTVMACIBVS interim soluendis obstructionibus vnicè incumbendum, cùm in hoc affectu morbi principalis rationem sortiantur, ad quem finem apozemata aperientia, hepatica, & hysterica concinnantur. Sed inter omnia præsidia viscerum infarctus reserantia, limatura chalybis principatum obtinet, siue cum extracto chelidonij & sale tartari vitriolato misceatur, aut sub opiatæ forma, vel pilularum, aut tabellarum exhibeatur; omnes enim & singulas naturales partes ab obstructionibus expedit efficacissimè, modò partium obstructarum secundum indicationes ab earum statu & dispositione desumptas, atque noxiorum humorum habeatur ratio, alternatimque præparantia cum partibus affectis familiaritate juncta, & purgantia vsurpentur, non omissis roborantibus; ista tamen remedia medelam incipiunt ac promouent, non verò absoluunt, quemadmodum ipsa Venus, cujus vtpote auxilij benigni, jucundi, naturalis, & ab ipsis Virginibus vehementer expetiti, repetito vsu ardens materia subtrahitur, incendium restinguitur, atque ipsa omninò debellatur χλώρωσις, fœdis ejus symptomatis verò artis secreto fugatis, dum ætatis jure nupturiens Virgo, & insidiosæ libidinis delinita blanditijs, quàm citissimè viro cohabitat, si enim conceperit sana fiet, juxta Hippocratis edictum.

Ergo Virginibus Chlorosi laborantibus Venus.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Nolin Decanus.
M. Nicolaus le Comper.
M. Petrus Rainssant Professor Antonianus.
M. Petrus Oudinet.
M. Joannes Lapile.
M. Thomas le Frique.
M. Nicolaus Richeletius.

Asserebat Remis, CAROLVS LVCAS Abbauillæus, Artium Magister & Medicinæ Baccalaureus. A. R. S. H. M. DC. LXVI.